

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

II.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)



I.

Epistola Ambrosii Blaureri, Augustam, ad Wolfgang.

Musculum scripta, 28. Augusti, 1544.

Post votum Concordiae in Ecclesiis, &c.

Tigurinorum candor, humanitas & erudita modestia, supra modum mihi jamdiu allubescit, eos si nonnulli imitari quam calumniari & convitiis insectari malent, haud quaquam tot remoras injici quotidie videremus cursui Evangelii Christi. Habent illi, mihi crede, magnam pacis ac communis unitatis rationem, sed qua firma sit ac omnino sincera, non fluctuans & sophisticata, qualem nonnulli hodie pio magis quam felici conatu à plerisque extorquent, à qua illi, cum sint liberiori ingenio, interim tamen etiam prudenti, ut circumveniri metuant, vehementer abhorrent. Quam verò non sint irritabili stomacho, argumento non obscurō est dentatissima illa & à theologica gravitate multum aliena L. Epistola, quam ad Froschoverum Tigurinum Typographum scripsit, ubi sic bonos illos & doctissimos viros damnat, proscindit, ac diris capita illorum devovet, ut nullus cacodæmon possit crudelius, & hanc tamen quando publicè non est edita, constanter illi dissimulant, nihil indulgentes privato affectui, sed quid in publicum expediatis, pensi habentes, quo mihi profecto nomine multum sunt venerandi, & studium suum provehendæ gloriæ Christi clarissimè probant. Bullingerus & Gualtherus cum ad me sèpissimè scribant, nihil unquam vel obiter, quod sibi in suis scriptis displiceat, commemorârunt, ut lubenter mihi persuadeam, illis tecum pulchre convenire. Quid P. M. de Tigurinorum ecclesia, quin etiam nostris, sentiat, ex Josepho Macario, illo sanctissimo ac verè eruditō adulescente, discere potuisti, &c. Commendat postea Macarium & ingratitudinem ac frigus Magistratum in provehendā doctrinā Evangelicā abominatur. &c.

II.

Fabricius Capito, 5. Junii, Ao. 1522. Noribergæ.

Erasmo, tanquam parenti colendo.

S. D. Stunicæ Hellus Lutheranis plausibilis est. Titulus est: Erasmi Roterdamii blasphemiae & impietates per Jacobum, &c. Versa pagella continet glo-

K k k k 3

110

riosam Stunicae Epistolam, qua testatur, se ostensurum, quam sit Erasmus Lutheranorum dignissimus ac princeps. Postea ex annotationibus Novi testamenti, Scholiis in Hieronymum & reliquis libris tuis, pleraque facientia ad vulgi palatum atque omnium cipientium res in melius novatas. Suum cuique arguento eulogium prescripsit, in hunc modum: De horis Canonicis. De primatu Apostoli Petri supra ceteros Apostolos. De humanis constitutionibus. De articulis Parisiensibus, & id genus. Subjicit mox tua verba, quae neque inimici paulo cordatores aegre ferre possunt. Tanta est eloquentiae dulcedo, virtus judicii & cautio in omnibus. Gratulor tibi tam commodum inimicum, cuius industria, dum cupid lacessere, optimo cuique te comprobat, hoc est, quis sit, velut in tabellam depingit, quatenus oculi concipiunt mediocres Lutheranos, hostes minime contemnendos, sensisses propediem, ob editas epistolas & librum Regis Angliae, non admodum, ut affirmant, à tua phrasi & stylo dissidentem. Stunica imprudens illos complacavit, unico libello, qualem aliquando amicus aliquis ex tuis consarcinare coactus fuisset. Gaudeo equidem, cuilibet nihil acerbius, quam videre Erasmum atris libellis & supervicturis proscindi, felicibus enim ingenii abundant, resipiscientibus, genium posteritatis, & materia favorabili, si tecum in hac arena congregentur, praestabunt, nedum numero erunt superiores. Seculum instat hoc multo felicius, quod animum sibi constantem atque ingenuum, literis instructum, juxta ponet, non tam Musarum sacris, quam excolendo Christo navabit operam, ita se omnia proferunt, quantum ex re presente conjicio. Quare oramus, quicunque tibi studemus, ocio atque quieti consulas, fugiendo hanc tragediam, non magnatibus contra animi sententiam connivendo, neque etiam orientibus post te, imo ex tua messe subnatæ segeti, insultando. Alia tibi ratio scribendi fortassis non fuit, modus, ut fert peritoris bonitas ac styli, longè alius est. Una igitur via, iisdem argumentis eandem causam in alio improbabis, propterea quod inconsultius majoreque periculo egerit, posthabita sui securitate. Jactant hic libellum Erasmi adversum Lutherum, nondum vidi, neque credo, id te ausum, quod in me reprehenderes. Consulit Princeps meus, ne ad Stunicam respondeas; Idem ego te cohortor. Utram in partem deflexeris, alterius erit odium sustinendum. Sunt, qui malunt, ad meliorem quam feliciorem partem declinares, quod haec fluctuet, dubiaque sit animo, illa autem suis nixa radicibus, fundata in petram Christum, seipsam indies viribus supereret, tametsi liberum & immunem esse & extra teli jactum tutius est, siquidem nos potius quam Reip. salutem inspiciamus. Haec boni consule; nam sunt simplicis animi, te impendio observantis, que extorserunt gravissimæ bonorum de te censuræ. Præterea præsentissima seculi immutatio, quantum ad religionem attinet, aut erit Orbis noster Christianus, aut totam Christi imaginem exploder, non est tertium. Vale in

in Domino & Christum & publicam pacem prout facis ama, mi Erasme. No-
riburga, 5. Junii, 1522.

Fabritius Capito

tuis ex animo.

III.

Joannes Cochlaeus, Dresdæ, 13. Martii, 1529.

Erasmo.

S. P. Venerabilis Domine Erasine; quæ huc misisti, accepi reverenter omnia
& reddidi fideliter. Dolemus quidem, tuò ære tam longè mittendum fuisse
nuncium proprium, sed mihi longè magis dolet, fieri tibi negotium, non solum ab
Eppendorfio, verum etiam à Carrino, quem Francofurdiæ olim vidi. Contemne ob-
secro hujusmodi osores, quid enim nocere tibi possunt? Lutherus non solum mino-
res, quales in Germania multi mecum sunt, sed & magnos adversarios callide conte-
mnenis, negotium suum peragebat ad populum, donec impelleret, quo volebat.
Tibi tantum jamdiu nomen est in Orbe terrarum, ut ne doctissimi obscurare queant.
Habes domi plures ministros & Amanuenses, qui honorem tuum ab ejusmodi bate-
ronibus egregie defendere queant, ut non sit opus, te propter eos vel unam perdere
horam. Agnosce quælo te ipsum, aut DEI potius in te dona. Non decet te, cui
eruditæ omnes verticem inclinant suum, ita descendere, ut congregari tam obscuris
juvenibus, qui ex te gloriam querunt. Longè sublimiora expectat Orbis abs te, quæ
nemo alijs præstare potest. Longè dignior es, quam ut contendas, aut etiam aliena
opera in Typographia emendare satagas, cum sit tibi tanta & tam copiosa à DEO
gratia ad opera propria scribenda. Despice quæso quoslibet rabulas, sive Hispani
sint, sive Galli, aut Germani, perge in scribendis novis, quæ nemo alijs scribere pot-
est. Quantum valeas copia & eruditione in sacris literis uberrime tractandis ac la-
tissimis expositionib; variè illustrandis, in Psalmis aliquot mirè ostendisti. Si des-
veniam temeritati meæ, scribam tibi secretum votum meum. Rogavi olim, ut com-
pendiosè complectaris omnes bonas artes, quibus juventus erudiri debeat, nunc ar-
dentiori voto rogarem, si permetteres, ut sacras quoque literas compendiosius expo-
neres. Saltem aliquot libros, ut obvius & certus foret intellectus, iis, qui festinant
omnes Bibliorum libros citè addiscere. Liranus nimis artius est. Hieronymus
nimis prolixus, & in interpretationum varietate sollicitus. Utinam DEUS det no-
bis Erasimicam expositionem familiarem aliquam & compendiosam. Non veteren-
tur novi Evangelistæ, vix benè puberes, te sciem tam celebrem ac Orbi universo ve-

ACCLAM.